INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 NOVEMBRIS ANNI MDCCCXLIX

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCL

HABENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE.

JOSEPHUS MAJER
UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE CRACOVIENSIS
RECTOR
CUM
SENATU ACADEMICO
CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S.

Operi his diebus cura nostra vulgato, quod inscribitur: Statuta nec non Liber promotionum philosophorum ordinis in Universitate studiorum Jagellonica ab an. 1402 ad an. 1849. Crac. Typis Univ. 1849, praemissa sunt ab editore nonnulla ad historiam Universitatis Jagellonicae pertinentia a prima origine usque ad mutatam et emendatam ejus sub Rege Stanislao Augusto formam. Quae quidem lectu dignissima quum fieri possit, ut non in omnium Vestrum manus sint perventura, non a re esse ducimus Vobiscum hic, occasione data, extremam saltem ejus praefationis partem communicare, ut inde discatis, qualis illo tempore Academiae nostrae fuerit facies, et novum habeatis documentum, gentem polonam quum multis aliis, tum hac quoque in re reliquis exemplo fuisse.

„Quum anno 1775 Jesuitarum ordo sublatus esset, Universitati quoque spes aliqua melioris sortis affulsit. Siquidem cuncta sublati ordinis bona usibus institutionis publicae sunt destinata, lectique in comitiis anno 1775 viri doctrina et auctoritate conspicui, qui essent rectores et moderatores publicae institutionis totius gentis (*Komisyja Edukacyjna*). Quod quidem novum in Europa exemplum jure summis laudibus celebrabatur atque etiam nunc celebratur, videlicet Polonorum gentem primam fuisse, quae sapiens illud Aristotelis consilium: reipublicae officium esse institutionis publicae curam habere eamque moderari, ad effectum perduxerit [1]). Ab his igitur viris nova plane, qualem temporum ratio postulare

---

[1]) Ἀριστοτέλους Πολιτικῶν τὸ ή. κεφ. ά. Ἐπεὶ δὲ ἓν τὸ τέλος τῇ πόλει πάσῃ, φανερὸν, ὅτι καὶ τὴν παιδείαν μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον εἶναι πάντων καὶ ταύτης τὴν ἐπιμέλειαν εἶναι κοινὴν καὶ μὴ κατ᾽ ἰδίαν, ὃν τρόπον νῦν ἕκαστος ἐπιμελεῖται τῶν αὑτοῦ τέκνων, ἰδίᾳ τε καὶ μάθησιν ἰδίαν, ἣν ἂν δόξῃ, διδάσκων. Δεῖ δὲ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι καὶ τὴν ἄσκησιν.« Quoniam autem unus est omnis civitatis finis, perspicuum est, etiam unam et eandem omnium necessario esse educationem et disciplinam, hujusque procurationem publicam esse debere, non privatam, quemadmodum nunc suorum quisque filiorum curam gerit, et eos privatim, prout visum est, instituit; cum tamen communium communem esse exercitationem oporteat.« Quod quidem sapientissimum Aristotelis dictum Stanislaus Warsewicius in Panegyri ad Stephanum, Poloniae Regem, a. 1580 his verbis commendat: Jam tribunal justitiae instituisti. Tu Rex judicis non ipse judex eris. Fac adhuc tribunal instructionis publicae; respublica alit; respublica instruat; et hoc peracto Rex nostrorum abnepotum in eorum gratitudine eris«. Neque minus Gaspar Siemek in libello, qui inscribitur »Civis bonus« Crac. in off. Matthiae Andreov. a. 1632. 4. fol. R 2 denuo in memoriam revocat his verbis: »Maxima et diligentissima cura scholarum habenda; nam in illis, summa et cardo rerumpublicarum consistit et tanquam contra quotidianam pestem certa habenda antidota. Quae igitur? Sint scholae istae publicae. Erunt autem, si publico cum consensu erigentur atque sustentabuntur, nec a quopiam altero praeter rempublicam dependebunt, ne magis alteri quam reipublicae parere cogantur«.

videbatur, etsi nonnullis in rebus minus apta, introducta est institutionis publicae forma: cujus quidem eam partem, quae ad Universitatem pertinet, cum Lectoribus benevolis communicandam censuimus.

Anno 1780 publicae institutionis Praefectorum Collegium (*Komisyja Edukacyjna*) omnibus, quae olim in Universitate Jagellonica instituta erant, promiscue sublatis, eam ab eo inde tempore generalem Regni Scholam vocari jussit, abrogatisque quatuor Doctorum Ordinibus, omnes ad exiguum undeviginti numerum circumscriptos docentes in duo Collegia, alterum Physicum, alterum Morale divisit eisque annuum stipendium, praeter viceprofessores, quibus bina milia in singulos annos dabantur, a 4000 fl. pol. usque ad 8000 fl. pol., tum e reditibus, quos Universitas ex praediis suis habebat, tum de publico statuit, idque sexto quoque mense in antecessum solvi jussit. Sic per Collegia dispertiti professores ternis vel ad summum quaternis horis et dimidio per hebdomadem profitebantur lectiones, uti sequuntur:

I. Collegium Physicum, cui mathematicis, physicis nec non medicis studiis et artibus dediti adscripti erant, tribus constabat scholis: 1) mathematica, 2) physica et 3) medica.

1) In Schola Mathematica tres professores per biennium docebant: a) Mathesin elementarem. b) Mathesin sublimiorem et Astronomiam. c) Mechanicam, Hydrostaticam et Hydraulicam nec non diebus festis Mechanicam practicam usui artificum fabrorumque accomodatam.

2) In Schola Physica duo professores, alter Physicam experimentalem, alter vero Chemiam et Historiam naturalem, duobus annis interpretabantur.

3) In Schola Medicinae a quatuor professoribus per biennium exponebantur: a) Anatomia et Physiologia. b) Chirurgia. c) Pharmacologia et Materia medica. d) Pathologia vero nec non Scholae Clinicae in nosocomio tribus annis moderabantur.

II. Collegium morale, cui assignati erant in studiis liberalissimis, et doctrinis versantes in 1) literariam, 2) juridicam et 3) theologicam scholam divisum erat.

1) In Schola literaria, quae primum duos, tum annis 1785 et 1786 ne unum quidem, tandemque ab anno 1787 quatuor numeravit doctores, profitebantur: a) Lingua graeca, b) Antiquitates. c) Historia ecclesiastica. d) Literae latinae et polonicae.

2) In Schola juridica: a) Jus naturae, politicum, gentium et criminale cum fundamentis oeconomiae politicae, item b) Jus civile Romanorum, ad annum 1787 a duobus antecessoribus, ab eo inde tempore a duobus aliis, quibus haec Schola aucta erat, c) Jus ecclesiasticum commune et privatum Regni Poloniae, d) Processus juris fori spiritualis, tandemque ab anno $17\frac{89}{90}$ a quinto professore e) Jus patrium tam politicum quam civile biennio absolvebatur.

3) In Schola theologica, quae primum septem, jam ab anno 1787 quatuor, tandemque post annum 1789 tres habuit doctores, Scriptura sacra quarto, Dogmata fidei et Theologia moralis tertio quoque anno finiebantur.

Haec fuit facies Universitatis Jagellonicae usque ad regni Polonorum exitum. Ab hoc inde tempore a. 1804, 1808, 1818, 1832 varias mutationes subiit, quas temporum et conditionum ratio postulare videbantur„.

Haec de Universitate nostra. Vos vero, Adolescentes Ornatissimi, in studia Vestra, uti coepistis incumbite ea diligentia et pietate, quae Vos summa laude dignos reddat. Valete.

ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. P. O. ORDINIS THEOLOGORUM H. T. DECANUS.

Tradet per utrumque semestre Theologiam pastoralem, Catecheticam, Didacticam et eloquentiam sacram diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni h. 10—12, item die Saturni h. 2—3 pom.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. P. O.

Historiam ecclesiasticam et Patristicam per utrumque semestre explanabit quotidie exceptis diebus Saturni h. 11—12, post meridiem autem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 2—3.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. P. O.

Institutiones dogmaticas diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. pom. 3—4; ethicas vero iisdem diebus excepto die Veneris h. pom. 5—6 profitebitur.

FELIX SOSNOWSKI

S. TH. D. P. P. O.

Profitebitur priori semestri haec: die Lunae h. 9—11 archaeologiam et linguas orientales; die Martis h. 9—11 Introductionem in libros veteris foederis et linguas orientales; die Mercurii et Veneris iisdem horis Introductionem eandem et archaeologiam; denique die Jovis h. 8—9 matutina archaeologiam. Hermeneutica, Exe-

gesis veteris foederis, exeg. sublimior, Introductio in libros novi foederis et lingua arabica tradentur altero semestri iisdem diebus et horis.

ORDO JURISCONSULTORUM.

LAURENTIUS SOŚWIŃSKI

J. U. D. P. P. O. ORDINIS JURISCONSULTORUM H. T. DECANUS.

Codicem civilem et judiciarium nec non mercantilem gallicum etiam nunc obligantem quotidie ab h. 11 ad 12 et praeterea diebus Jovis et Saturni h. 12—1 docebit.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PH. ET J. U. D. P. P. O.

Jus canonicum diebus Lunae, Martis et Mercurii h. 9—10, processum judicialem Austriacum d. Jovis, Veneris et Saturni iisdem horis; jam vero praxin judicialem semestri aestivo h. 4—5 pom. profitebitur.

IGNATIUS HAMMER

J. U. D. P. P. O.

Codicem civilem Austriacum diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni h. 10—11 et pomer. 3—4 explicabit. Semestri aestivo praeterea quater per hebdomadem tradet doctrinam vectigalium administrandorum.

VINCENTIUS SZPOR

J. U. D. P. P. S.

Disciplinas politicas quotidie exceptis diebus Jovis et Solis horis pomerid. 3—4, jus mercantile et cambiale die Jovis h. 3—4 et die

Veneris h. 8—9 matut.; Statisticam denique Europeam die Saturni h. 2 -3 exponet.

JOAN. STEPH. HIER. RZESIŃSKI

PH. ET J. U. D. P. P. S.

Encyclopaediam juris, item jus naturae et jus criminale profitebitur quotidie hora pom. 3—4¼.

ANTONIUS SIGISMUNDUS HELCEL

J. U. D. P. P. S.

Jus antiquum polonicum ejusque historiam tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii h. 12—1 et 2—3.

ALEXANDER CUKROWICZ

J. U. D. P. P. S.

Historiam et Institutiones juris romani profitebitur diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. mat. 9—10; Pandectas d. Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris h. 8—9 mat.

ORDO MEDICORUM.

FRIDERICUS HECHEL

M. ET CH. D. PR. P. O. ORDINIS MED. H. T. DECANUS.

Tradet semestri hiberno: medicinam forensem cum exercitiis practicis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. 1—2, historiam medicinae antiquam et medii aevi iisdem diebus h. 7—8 matut. — semestri aestivo: politiam medicam et zoagriam h. 1—2, historiam medicinae recentiorem, peculiariter autem historiam et literaturam medicinae in Polonia iisdem diebus exponet h. mat. 7—8.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. DR. PR. P. O. H. T. RECT.

Tradet Physiologiam per utrumque semestre quotidie h. mat. 10—11.

JOSEPHUS BRODOWICZ

MED. ET PHIL. D. PR. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Praxin medicam h. 9—10, pathologiam et therapiam specialem h. 10—11 docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. PR. P. O.

Pharmaciam tradet per utrumque semestre h. 8—9, chemiam h. 12—1.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PH. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Priori semestri tradet pathologiam et therapiam chirurgicam diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. 12—1; syphilidologiam diebus Mercurii eadem hora; jam vero chirurgiam practicam et medicinam oculariam semestri aestivo iisdem diebus et horis. Praxin denique chirurgicam quotidie, exceptis diebus festis, per utrumque semestre h. 11—12 exercebit.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. PR. P. O.

Tradet Pathologiam generalem et semioticam semestri hiberno quotidie excepto die Saturni hora matutina 8—9, post meridiem ter per hebdomadem h. 3—4; item hodogeticen medicam diebus Martis et Jovis h. 3—4; semestri vero aestivo Pharmacodynamicen, Catagraphalogiam, Hydrographiam medicam et Therapiam generalem deinceps quotidie exceptis diebus Saturni et festis h. 8—9 et pom. 3—4.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. PR. P. O.

Semestri hiberno profitebitur quotidie excepto die Saturni Histologiam h. 9—10; semestri aestivo iisdem diebus et eadem hora Anatomiam comparativam; Anatomiam denique descriptivam per utrumque semestre h. 12—1.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. PR. P. O.

Exponet semestri hiberno auditoribus medicinae artem obstetriciam theoreticam diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. 9—10, Gynaecologiam iisdem horis bis per hebdomadem; semestri aestivo feminis arti obstetriciae operam navantibus theoriam hujus artis; auditoribus vero medicinae Paediatriam iisdem diebus et horis; per utrumque denique semestre obstetriciam practicam et clinicen quotidie h. 8—9 tractabit.

IGNATIUS CZERWIAKOWSKI

M. D. PR. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Profitebitur sem. hiberno botanicam theoreticam in genere primis quatuor hebdomadis diebus h. 10—11, practicam vero adhibito microscopio eadem hora die Veneris; sem. vero aestivo botanicam specialem quotidie, et die Saturni excursiones practicas instituet.

LUDOVICUS ZEUSCHNER

PH. D. P. P. O.

Semestri hiberno exponet quotidie excepto die Saturni mineralogiam, diebus autem Lunae, Martis et Veneris Physiographiam universalem h. 2—3; semestri altero iisdem diebus et horis Zoologiam peculiarem mane, generalem post meridiem.

LAURENTIUS DOMAŃSKI

M. ET CH. D.

Medicinam veterinariam theoreticam et practicam binis quotidie horis 12—1 nec non 4—5 explicabit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PH. D. P. P. O. ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. DECANUS.

Mathesin elementarem profitebitur quotidie h. 8—9.

MAXIMILIANUS WEISSE

PH. D. P. P. O. OBSERVATORII ASTRONOMICI DIRECTOR.

Matheseos sublimioris cursum 2dum et Astronomiam exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii h. 2—3, die Veneris h. 3—4, et die Saturni h. 12—1.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PH. D. P. P. O.

Profitebitur octies qer hebdomadem, tradet historiam literarum antiquarum, antiquitates Romanorum alternis diebus h. 9—10; Ciceronis orationes, Plauti fabulas, item Xenophontis opera selecta et Homeri Iliada binis horis explicabit.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PH. D. P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam profitebitur diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 2—3.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PH. D. P. P. O.

Doctrinam physices exponet quotidie h. 10—11, et praeterea d. Martis, Jovis et Saturni h. 11—12.

VINCENTIUS POLL

PR. P. EXTRAORD.

Tradet semestri hiberno Geographiam Europae diebus Martis, Jovis et Saturni h. 6—7 pomer., semestri aestivo historiam Geographiae et terrarum detectarum bis, Geographiam autem Imperii Austriaci quater per hebdomadem.

JOANNES STARONIEWICZ

S. TH. D. P. P. S.

Doctrinam Religionis tradet quater per septimanam; h. 9—10, paedagogiam profitebitur d. Martis et Jovis h. pom. 4—5.

JOSEPHUS KREMER

PH. ET J. U. D. P. P. S.

Psychologiam, Logicam et ethicam docebit quotidie, excepto die Saturni h. 12—1; historiam philosophiae diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. 4—5.

VALENTINUS KULAWSKI

PH. D. P. P. S.

Historiam universalem antiquam enarrabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris et Saturni h. 9—10, recentiorem autem d. Lunae, Martis, Mercurii et Veneris h. pom. 3—4.

CAROLUS MECHERZYŃSKI

PH. D. P. P. S.

Tradet per utrumque semestre historiam literaturae patriae et universalis sexies per hebdomadem alternis diebus, hora 11—12 et 3—4.

Matheseos sublimioris cursum priorem tradet Adjunctus Observatorii diebus Martis, Jovis et Saturni h. 10—11.

Adjuncti Professorum Facult. medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii.
Josephus Jaszczurowski M. D. Adj. Directoris instit. chirurgico-clinici.
Michael Zieleniewski M. et Ch. D. Adj. Prof. artis obstetriciae.
Josephus Riedmüller M. D. Adj. Prof. mineralogiae et zoologiae.
Josephus Stanisławski M. D. Adj. Directoris Instituti medico-clinici.
Felix Berdau Pharm. Mag. Adj. Prof. botanicae.
Ignatius Janicki Philos. Cand. Adj. Prof. physicae.
Ignatius Gralewski Phil. Cand. Adj. Directoris observatorii.
Vladislaus Anczyc Pharm. Mag. Adj. Prof. Chemiae.
Leopoldus Krzyżanowski M. C. officio Adj. Prof. Anatomiae fungetur.

Linguas docebunt sexies per hebdomadem:

Germanicam Augustus Otremba, h. 5—6 et 2—3.
Gallicam Franciscus Aubertin, h. 12—1 et 4—5.
Rossicam Hieronymus Mecherzyński, h. 3—4.

Lectorium in bibliotheca publica Universitatis semestri hiemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6; — Observatorium Astronomicum horis 3—6, diebus Jovis et Solis; — Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12; Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12; Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab hora 1—4 tempore hiemali, aestivo vero ab h. 3—6; — Hortus botanicus quotidie, Museum anatomicum die Saturni ab h. 11—12, patebunt. Hospitibns vero extraneis, qui Musea, Bibliothecam et Observatorium invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus lectionibus sacrum condonare velint.